

www.e-rara.ch

Aristotelous hapanta =

Aristoteles

Basileae, anno 1550

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH Frey-Gryn L I 20

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-411>

D. Erasmus Roterodamus Ioanni Moro s. d.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

D ▶ ERASMVVS ROTERODAMVVS

IO ANNI MORO S. D.



ARISTOTELES philosophorū, ne Platone quidem, iuxta *M. Tullium*, excepto, citra controuersiam omnium doctissimus, ornatissime iuuenis, crasso cuidam & *ἀπὸ τοῦ* percon tanti, quid esset discriminis inter doctos & indoctos, expedite respondit, quod inter uiuentes & mortuos: rectissime iudicans, qui corporum modo uita fruentur, quam habemus cum asinis, suibus, & anseribus communem, & corporeis tantum oculis solem intuerentur, quem acutius cernunt aquilae: animis uero, quibus, ut idem ait, lucem ac uitam donat philosophia, nihil cernerent, eos nec hominis appellatione dignos, & mortuos esse uerius quam uiuos, minimoq; interuallo à lapideis differre signis, hoc nomine etiam inferiores, quod statua sic delectant oculos, ut nemini maledicant, ledantue quenquam. Idem dicere solet, liberalium disciplinarū radices quidem subamaras esse, fructus uero dulcissimos. Quod idem rectius, utpote poeta, significare uidetur *Homerus*, quum depingens moly herbarum praestantissimam, & aduersus omne maleficiorum genus efficacissimam, ait eam radice nigra esse, sed flore lacteo candidoq;. Proinde praestat hoc nobis eruditio liberalis, non tantum ut homines simus, & à pecudum genere segregemur, ut toti uereq; uiuamus, uerum etiam ut feliciter suauiterq; uiuamus. Nihil autem addubito mi *MORO*, quum tu iandudum deuorato si quid erat in studijs amari, dulcissimos philosophiae fructus carpas, nimirum ex tali patre natus, & ab eodem à teneris, ut aiunt, unguiculis institutus, formatus, ac prouectus, idq; non minus in utriusque lingua disciplinis, quam in pietate Christiana, moribusq; sanctissimis. Siquidem ipse uir pius iuxta ac eruditus, nihil magis cordi studioq; habuit, quam ut filium sui similem magis educatione fingeret, quam natura genuisset, quo nimirum & ipse totus esset pater, & te filium haberet uere uideor. Hoc profecto nomine non paulo fortunatior es, quam si ex quouis Regum Caesarum ue nasci contigisset. Si istam tuam felicitatem agnoscis, ut te maxime facere credo, non potes non & maximas agere gratias uniuersae felicitatis auctori Deo, & summa ope conuitti, ut tum numinis tam effusa in te benignitati, tum optimi parentis eximia pietati respondeas. Etenim si cuiquam omnino contigit ut, quod ait *Comicus*, domi haberet unde disceret, & eruditionem ac pietatem unà cum lacte nutricum sugeret, hoc tibi datum est insigniter. Neque nescis ab hoc eodem *ARISTOTELE* (ne ab illo recedamus) praclare dictum esse, plus debere nos ijs à quibus instituti sumus, quam à quibus prognati, quod à parentibus tantum accipiamus ut uiuamus, à praeceptoribus ut bene uiuamus. Utrunq; munus tibi cumulatissime praestitit optimus parens tuus, & tu illi geminam debes gratiam. Haec quum ita sint, uideor mihi superuacaneam sumpturus operam, si iampridem alacriter currentem coner incitare. Applaudere tantum & acclamare libet, strenue, multis à tergo relictis, ad perfectionis metam properanti, uidelicet quò curras alacrius. Arbitror enim te iampridem absolutis mansuetioribus disciplinis, augustioris philosophiae mysterijs initiatum, ut sapientiam eloquentiae copules, pedisseque reginam. Nam nimis ridicule mihi facere uidentur, qui per onnem uitam nihil aliud agunt quam ut recte loquantur, nec hoc ipsum quod unum expetunt, consequuntur, quum iuxta *Flaccum*, dicendi recte, sapere & principium sit & fons. Haec reputanti, suauissime *IO ANNES*, visum est *ARISTOTELE* *M.*, totius philosophiae principem & consummatorem, modo ueluti renatum, tibi dicere, ut in huius penetrabilibus assidue uersans, si quid deest orbi disciplinarum, absoluas. Unus enim hic philosophiam, à diuersis per

fragmenta sparsim mutilatimq; traditam, in ordinem redegit, ac velut in corpus compegit, ut qui à Poetis ac Rhetoribus orsus, ad Logicen deducit: hinc moribus omni ex parte diligenter instructis, per omnes naturæ partes circumducit: postremò ad ea quæ naturam humiliorem superant, euehit, vsq; ad summam illam mentem, quæ superat omnem intellectum. Unde non iniuria M. Tullius, haudquaquam stupidus ingeniorum estimator, hunc unum appellat aureum flumen, aptius mea sententia dicturus, totius sapientiæ ditissimum quendam mundum. Sed ò negotiorum deorum inuidentiissimum, cui parum est exedere marmora & æra, corporum imagines, nisi & ingeniorum monumenta vel deuoret, vel corrumpat. Tam opulentus, tam inestimabilis thesaurus nobis in totum perierat, nisi per Lucium Syllam fuisset ab orco reductus, quo uel unico beneficio vir ille semet ab inuidioso conuicio vindicare poterat, quo contumeliosis versibus sibi felix dictus est, non Reipub. Nam Aristotelis lucubrationibus in lucem reuocatis, non uni tantum vrbi, sed vniuerso orbi felix dici promeruit. Sed hoc gaudium de recepto Aristotele, non mediocri dolore temperauit Nemesis, dum reputamus quàm multa rursus ex huius philosophi monumentis intercederint, quæ prisca scriptores testantur ab eo composita. Aiunt enim illum scripsisse libros plures trecentis. Diogene: summam estimat versibus supra quinquies mille, trecentis & triginta. Nam prisca solent versuum numero signare voluminum magnitudinem, veluti nota certiore, quod libri frequenter sint inæquales pro materiæ copia. Sed huius iacturæ molestiam qualicunq; solatio mitigant, quòd aiunt paucos quidem, sed optimos quosq; nobis esse incolumes. Vniuersos autem redigunt ad quatuor classes, quarum prima continet eos qui dicendi persuadendiq; ratione tradunt. Ad hanc referri possunt ea quæ de Poetica, & Musica, prouerbisq; scripsit, aut si quod est aliud simile. Secunda, qui differendi ratiocinandiq; scientiam docent. Tertia, qui moralem ciuilemq; disciplinam tradunt. Quarta, qui de naturalibus ac supernaturalibus tractant. Nunc quid in quaq; classe nobis perierit aut extet, velut in tabula tibi depingam. In prima, quæ, ut dixi, Rhetoricen docet, qui greci extant hi sunt: Rhetorices ad Theodectum, libri tres, quum Laertius non numeret nisi duos, restans tamen illum de Rhetorica bis, duobus voluminibus tractasse. Ad Alexandrum de ciuilibus sermonibus, liber vnus. De Poetica, liber vnus.

In secunda, quæ Dialecticem tradit, extant hæc:

De predicamentis decem, liber vnus. De enunciatione, liber vnus, quem nunc secant in duos. Analyticorum priorum, libri nouem, quum nobis extent tantum duo: nisi fortassis hi sunt, quos Laertius hoc titulo commemorat, Syllogismorum duo. Analyticorum posteriorum, siue demonstrationum, libri duo. Topicorum, libri octo. Elenchorum, liber vnus, quem nescio quis secuit in duos. In tertia, quæ moralia continet, hæc supersunt: Ethicorum ad Nicomachum, lib. decem. Ethicorum ad Eudemum lib. octo: sic videtur, est enim septimus longissimus. Ethicorum quæ magna vocantur, lib. duo. Politicorum lib. octo. Oeconomicorum lib. duo, quorum alter notus est.

In quarta supersunt hæc:

Naturalium auscultationum, lib. octo. Meteorologicorum, lib. quatuor. De cælo lib. quatuor. Historiæ animalium, lib. decem. De partibus animalium, lib. quatuor. De generatione animalium, libri quinque. De generatione & corruptione, libri duo. De mundo ad Alexandrum, lib. vnus. De coloribus, lib. duo. De plantis, lib. vnus. De sensu & sensibili, liber vnus. De iuuentute & senectute, liber vnus. De somno & yigilia, liber vnus. De insomnijs, liber vnus. De diuinatione in somnis, liber vnus.

Inter grecè impressos non extat.

Pro-

AD IO. MORVM EPIST. NVNCVPATORIA.

Problematum sectiones permulta. De vita & morte, liber vnus. De respiratione, liber vnus. De flatu, liber vnus. De physiognomicis, liber vnus. De anima, lib. tres. De memoria & meminisse, liber vnus. De mechanicis, liber vnus. De lineis illatilibus, liber vnus. De Xenophanis, Zenonis, & Gorgia placitis, liber vnus. Supernaturalium, lib. quatuordecim.

Tantum nobis superest, & quidem græcè. Nunc accipe qua in quaq; classe desiderentur.

De prima desiderantur hæc:

De Poetis, libri tres. De Rhetorica, liber vnus, cui titulus Gryllus. Nerinchus, liber vnus. De enthimematibus rhetoricis, libri duo. Artis poetica tractatio, libri duo. De consilio, liber vnus. De Homericis ambiguitatibus, libri sex. Liberalium disciplinarum, libri duo. Parabolarum, lib. vnus. Ἀτάκτων, id est, inordinatorum, libri duodecim. Olympionica, liber vnus. Pythionica, liber vnus. Pythionicarum e-lenchi, liber vnus. Dionysiacæ uictoriae, liber vnus. Pythicus musices, liber vnus. De tragædy, liber vnus. De doctrinis, liber vnus. Prouerbiorum liber vnus. Carmen ad Philoxenum. Scripsit & elegias. His adiungi possunt, Mathematicus, liber vnus. De magnitudine, liber vnus. De Musica, liber vnus.

Ex secunda desiderantur hæc:

Sophista, lib. vnus. Menexenus, lib. vnus. De scientijs, lib. vnus. Solutiones contentiosorum, liber vnus. Diuisiones sophisticæ, libri quatuor. De contrarijs, liber vnus. De speciebus & generibus, liber vnus. De proprijs, lib. vnus. Commentaria aggressoria, libri tres. De instantia, liber vnus. De his quæ aliquot modis dicuntur, aut iuxta additionem aut propositum, ut reddidit Diogenis interpres, quum Aldina editio habeat κατὰ μέρος, liber vnus. De scientia, liber vnus. Diuisiones decem & septem. Diuisibilem, liber vnus. De interrogando & respondendo, libri duo. De propositionibus, liber vnus. Propositionum contentiosarum, libri quatuor. De syllogismo, liber vnus. De quæstionibus, liber vnus. Methodicorum, libri octo. De syllogismis, lib. duo. Syllogisticorum & definitionum, libri duo. De elegibili & contingenti, liber vnus. De his quæ ante locos sunt, liber vnus. Topicôn ad finitiones, libri duo. Diuisionum, liber vnus. Definitionum, libri tres. Epicherematum, lib. duo. Quæstiones aggressoriae, lib. uiginti quinque. Artium collectio, lib. duo. Ars, liber vnus. Ars alia, lib. duo. Compendium artis, lib. vnus. Artis Theodecti contractio, lib. vnus. Enthymematum diuisiones, liber vnus. De dictione, lib. tres. Collectionum, lib. duo. Aduersus Gorgiam, liber vnus. Problematum ex Democrito, lib. sex. De doctrina, lib. vnus. Aduersus Zenonis scita, lib. duo. Encycliorum, lib. duo.

Ex tertia interciderunt hæc:

De iustitia, lib. quatuor. De philosophia, lib. tres. De Republica, libri duo. Amatorius, liber vnus. Conuiuium, lib. vnus. De diuitijs, lib. vnus. Exhortationum, liber vnus. De nobilitate, lib. vnus. De voluptate, lib. vnus. Alexander seu de colonis, liber vnus. De regno, lib. vnus. De hono, lib. tres. De Platonis legibus, libri tres. De repub. Platonis, lib. duo. De amicitia, lib. vnus. Quid sit affici, aut affectum esse, lib. vnus. Propositiones de uirtute, lib. tres. De perturbationibus ira, lib. vnus. De imperio, lib. vnus. De meliori, lib. vnus. De affectibus, lib. vnus. De voluntario, lib. vnus. De pulchro, lib. vnus. Quæstionum de amicitia, lib. duo. Politicorum, lib. duo. De iustis, lib. duo. Iustificationum lib. duo. Iura, lib. vnus. Lex cõmendatitia, lib. vnus. Legum, lib. quatuor. Politia ciuilitatum, lib. centū uigintiocto: & seorsum de democratia, oligarchia, aristocratia, & tyrann

nide. Addantur his epistole ad Philippum. Selymbriorum epistola. Ad Alexandrum quatuor. Ad Antipatrum nouem. Ad Mentorem vna. Ad Olympiadem vna. Ad Hephastionem vna. Ad Themistagoram vna. Ad Philoxenum vna.

Ex quarta interciderunt hæc:

De elementis, lib. tres. De motu, liber vnus. De Idea, liber vnus. Questionū de anima, lib. vnus. De natura, lib. tres. Physicus, lib. vnus. De Archyta philosophia, lib. tres. De Spensippi & Xenocratis philosophia, lib. vnus. De Timæi & Archyta libris decerpta, lib. vnus. Aduersus Melisti dicta, liber vnus. Aduersus Pythagoricos, lib. vnus. Aduersus Alcmaeonis placita, lib. vnus. Aduersus Xenocratem, lib. vnus. De Pythagoricis, lib. vnus. De incisionibus, lib. octo. Excerptio incisionum, lib. vnus. De compositis animalibus, lib. vnus. De fabulosis animalibus, lib. vnus. De non gignendo, lib. vnus. De plantis, lib. duo. Medicinalium, lib. duo. De signis tempestatum, liber vnus. Astronomicus speculatiuus, lib. vnus. De motu, lib. vnus. Inspectorum problematum, libri duo. Exposita generatim, libri quatuordecim.

*Hi libri nuper inuenti, hac citatione exhibentur

Vides charissime iuuenis, iacturam simul & lucrum studiorum, quorum vtrunq; eō visum est proponere, vt his quæ Deo propitio superesse contigit, fruamur auidius, cautiusq; seruemus. Quamquam plura extant hodie latine uersa, quam quæ græca reperiuntur. Et in vtroq; genere sunt, de quorum autore non immerito possit ambigi. Primum illa minuta opuscula, de uita & morte, de memoria & meminisse, de longæuitate & breuitate uitæ, & huius generis multa, vel hoc argumento videri possunt notha, quod apud Diogenem Laertium, qui curiosus etiam recenset huius viri lucubraciones, horum nulla omnino fiat mentio, etiamsi in his nihil serè est non eruditum ac lectu dignum. Librum de pomo constat hominis esse Christiani. In librum de vegetalibus qui præfatur, ait esse uersum ex Arabica lingua: ac probabile est Arabis cuiuspiam esse, adeo subinde citat Avruculum quendam, Græcis inauditū. Quicquid tamen est huiusmodi libellorū, quoniā ab his qui philosophiā Aristotelicā in scholis profitebantur, solent prælegi, ARISTOTE LIS titulus obtinuerunt. Liber moralium, quæ Magna dicuntur, videtur ex libris ad Nicomachū decerptus. Qui uero ad Eudemū scripti sunt, in prioribus planè referunt uim & acumen ARISTOTE LIS: posteriores videntur ab alio quopiā adiecti, quū in his repetantur ipsæ uerbis quæ disputantur ad Nicomachū. Librū de mirabilibus narrationibus res ipsa loquitur è diuersis autoribus esse confarcinatū, nec præ se fert indolē Aristotelicā. Opus problematum in primis eruditū, apparet à studiosis cotaminatū, vel hoc indicio, quod toties eadem iterantur: & haud scio an hoc sit opus, quod Laertius hoc titulo recenset, Problematum ex Democrito libri sex. Commemorantur & alij duo libri problematum ἑξ ἑκατόν, vnus Encycliorum, rursus alij ἑξ ἑκατόν & προτάσεων, ex quibus probabile est has quas habemus sectiones magna ex parte decerptas. De Oeconomicis Laertius non recenset nisi vnum librum, quum Leonardus Aretinus uerterit duos, quorum posterior non inuenitur. In huius locum Aldus supposuit fragmentum strategematum, nihil faciens ad rem æconomicam. Prior uero tractatus est Aristotelis, sed utinam esset absolutus: Secundus, quem uertit Leonardus, nec coheret cum superiore, nec respicit ingenium Aristotelis. De anima Laertius vnum tantum librum commemorat, sed hunc fortasse studiosus aliquis in treis dissectuit. Rhetorica ad Alexandrum, quamuis apprimè docta, tamen duplici nomine dubitari potest an sit illius germana: primum, quod Oratorum more præfatur, id quod alibi nunquam, sed semper ad rem festinat: dein, quod huius Diogenes non meminerit. Liber de plan-

plantis non est separatum opus, sed pars, aut si mauis, tertius liber de coloribus. Liber de mundo ad Alexandrum disertus hominis est, sed multum discrepans à phrasi Aristotelica. Liber de lineis indiuisibilibus, quãuis hominis apprimè docti, nõ sapit tamè Aristotelem, nec eius meminit Laertius. In his ita meam sententiam aperui, vt nihilo secus suum cuiq; liberum per me quidem sit iudicium. Reliquum est, vt paucis attingam, quid hac postrema, hoc est, Bebeliana editione accesserit studiosis. Principio fateor plurimum gratia deberi Aldo, qui primus omnium sua industria typis græcè euulgarit autorem, quo vix alius lectu dignior: nam antehac illum habebamus, sed ita versum, vt ad intelligendum Delio, quod auunt, natatore esset opus, si modo excipias quæ vertit Theodorus Gaza, in hoc genere felicissimus, & Leonardus Aretinus. Nam Arg yropilum arbitror post editionem Aldinam eam prouinciam aggressum. Sed Aldina uolumina quoniam magno emebantur, submouebant tenues philosophiæ candidatos, nec ferè inueniebantur nisi in Italia: post vix vnquam reperiri cæperunt, diuenditis omnibus aut certe plerisq;. At hoc præstitit Ioannes Bebelius, vt inestimabilem thesaurum typis multo elegantissimis euulgatum, quamlibet tenuis non magno precio sibi possit comparare. Imò non prorsus idem nobis prodijt ARISTOTELES, sed multo quàm antea fuit emaculatio, idq; potissimum studio, uigilantiâ, fideq; Simonis GRINÆI, viri in omni genere literarum haudquaquam vulgariter eruditi: at non sine præsidij fidelium exemplariorum. Siquidem in Dialecticis adhibitus est emendatissimus codex, in quo vix vlla fuit pagina, quæ nõ aliquod operæ precium attulit. In physicis auscultationibus consulta sunt Simplicij commentaria: & in huius argumenti libro septimo pro Themistiana paraphrasi, reposita sunt ipsius Aristotelis verba, idq; ex autoritate Simplicij, vt confidamus in his duobus operibus aut nihil, aut quam minimum fore quod lector desideret. In libris de animalibus loca non pauca repurgata sunt, præsidio translationis Theodorice. Liber τῆν πρῶτῶν τῶν ζῴων minimum erat inquinatus mendis, nisi quod huic operi autor ipse non uidetur extremam addidisse manum. Ethica ad Nicomachum rectè habebant, nec admodum egebant emendatoris industria. Atque vtinam licuisset in opusculis minutioribus omnes explere lacunas, & quod deprauatum erat ad plenum restituere. Imò vtinam liceret omnia quæ in huius viri lucubrationibus desiderantur, adiungere. Certè quicquid ab Aldo fuit aditum, hic & solidum habetur, & multo castigatius, denique longe minori precio parabile. Id meo periculo non dubitem polliceri, meamq; fidem facile probabit diligens lector, si non grauabitur conferre. Iam si quis expendat, quantis vigilis, quantis sudoribus, quantis etiam impendijs parata sit hæc studiosis omnibus commoditas, fatebitur plurimum & fauoris & gratiæ deberi Ioanni Bebelio, qui quum possit aliorum exemplo, frivolis ac mox emorituris libellis uenari præsens lucrum, maluit in egregios autores maximam facultatum suarum partem periclitari. Lacon ille nihil morabatur diuitias de funibus pensiles: sed haud scio an incertiora sint quæ pendent de chartis. Aequum est autem vt omnes literarum studiosi talium virorum industria faueant, & fauendo ad similia audenda studeant accendere. Id fiet, si quanto studio ille tantum thesaurum offert, tanta auuiditate rapiant quibus illo est opus: & cui tandem nõ est opus? vt iam hoc multo magis sit fauere sibi, quàm Bebelio. Sed ut ad te redeam clarissime iuuenis, scio te in hoc Peripatetico solitum libenter τὸ πρῶτον, libentius etiam obambulatorium, quum omnia deprehenderis purgatiora. Proinde ut huc hortari te seruum arbitror, ita vt pergas, excitare non admodum puto necessarium, qui tot exemplis domesticis vndiq; pungaris extimulerisq;, ut quamuis pigrum ac somnulosum ingenium possit ad sapientiæ studium excitari. Hic ipse ARISTOTELES

AD IO. MORVM EPIST. NVNCVPATORIA.

dixisse fertur, sibi turpe esse silere, loquente Xenocrate: longè verò turpius tibi fuerit non philosophari, quum videas optimas sorores tuas *MARGARETAM, ALOISIANAM, CECILIAM*, tam sedulo tamq̃ feliciter in vtriusq̃ lingua scriptoribus versari. Quanquam omnium acerrimum ad omnem virtutē calcar esse debet, vir omnibus numeris absolutus pater tuus *THOMAS MORUS*, qui magis te genuit institutione quam natura, & in quo velut in speculo vides esse verissimum quod dicere solitus est Aristoteles, *καλλίστου ἐπὶ δὲ τοῦ εἶναι τὸ γὰρ καὶ τὸ ἀδύνατον*. Siquidem hoc magna ex parte debet literis, quod ei muneri, quo non aliud vel secundum regiam dignitatem augustius, vel ad bene gerendum difficilius, non modo par esse, verum & superesse potest. Quod tamen ipsum, nisi prorsus ignoro naturā illius, perlubenter recusaturus erat, si vel phas iudicaret vsquam non morem gerere Regis optimi voluntati, vel pium existimaret patria concordibus suffragiis ac publica voce huc vocanti pernegare obsequium. Quin & illud debet philosophia, quod nec tanta dignitas tantillum illi addidit supercily, nec negociorum vndiq̃ circūstrepentium vnda, quicquam de pristina comitate diminuerunt. Video iandudum epistolam excedere modum, sed dimittam te, si tibi adhuc vnum Aristotelicū apophthegma recensuero. Quidam iactanti sese quod amplæ celebrisq̃ ciuitatis esset ciuis, Noli, inquit, istuc spectare, sed expende num illustri ciuitate sis dignus. Idem tu quoq̃ mi *IOANNES*, merito gloriari poteris te tali patre prognatū, si, quod facis, adniti pergas vt tali patre dignus videare. Datum apud Friburgum Brisgoia, tertio Cal. Martias, Anno domini
M. D. XXXI.